

(unknown project)

## **Graphia aureae urbis**

---

INCIPIT GRAPHIA AUREAE URBIS.

1. Postquam filii Noë aedificaverunt confusionis turrem, Noë cum filiis suis ratem ingressus, ut Hescodius scribit, venit Ytaliam, et non longe ab eo loco ubi nunc Roma est, civitatem nominis sui construxit, in qua et laboris et vitae terminum dedit.[Page 2]

2. Ianus vero filius, una cum Iano, filio Iapheth, nepote suo, et Camese indigena, civitatem Ianiculum construens, regnum accepit. Camese vero carnis universae viam ingresso, ad Ianum solum regnum relatum est. Hic cum iam dicto Camese apud Transtiberim palatium construxit, quod Ianiculum appellavit, in eo scilicet loco ubi nunc ecclesia Sancti Iohannis ad Ianiculum sita est. Ipse vero in palatio, a se in Palatino monte constructo, regni sedem habebat; in quo omnes postea imperatores et Caesares feliciter habitaverunt.[Page 3]

3. Eo etiam tempore Nemroth, qui et Saturnus, a love filio eunuchizatus, ad iam dictum Iani regnum devenit, eiusque iuvamine fultus construxit civitatem in Capitolio, quam ex suo nomine Saturnam appellavit.[Page 4]

4. Illisque diebus Italus rex, cum Siracusanis ad Ianum et Saturnum veniens, construxit civitatem iuxta Albulam flumen eamque ex suo nomine vocavit; et Albulam flumen ad imaginem fossae Siracusanae, quae Tibris appellabatur, Tibrim nominaverunt.[Page 5]

5. Hercules quoque filius post haec cum Argivis, ut Varro describit, ad regnum Iani veniens, fecit civitatem Valentiam sub Capitolio.[Page 6]

6. Post hunc Tibris rex Aboriginum, cum gente sua veniens, aedificavit civitatem iuxta Tiberim, iuxta quam occisus est ab Italo rege, in pugna quam cum eo habuit.[Page 7]

7. Demum vero Evander, rex Archadiae, cum suis fecit civitatem in monte Palatino.[Page 8]

8. Similiter et rex Coribas, cum Sacranorum exercitu veniens, construxit civitatem iuxta in valle.[Page 9]

9. Glaucus etiam, filius Minois, filii Iovis, cum suis illuc adveniens, civitatem et moenia struxit.[Page 10]

10. Post quem veniens Romae filia [A]geneae, cum multitudine Troianorum, civitatem in Palatio urbis construxit.[Page 11]

11. Aventinus quoque Silvius, rex Albanorum, in Aventino monte palatium et mausoleum sibi extruxit.[Page 12]

12. Anno autem .CCCC. .XXX. .III. destructionis Troianae urbis expleto, Romulus, Priami, Troianorum regis, sanguine natus, .XXII. anno aetatis suae, .XV. kal. maias omnes civitates iam dictas muro cinxit, et ex suo nomine Romam vocavit. Et in ea Etrurienses, Sabinenses, Albanenses, Tusculanenses, Politanenses, Telenenses, Ficanes, Ianiculenses, Camerinenses, Capenati, Falisci, Lucani, Ytali, et omnes fere nobiles de toto orbe terrarum cum uxoribus et filiis habitaturi convenientiunt.[Page 13]

13. Habet autem, turres .CCC. .LXII., castella .XLVIII., arcus principales .VII., propugnacula .VI. .DCCCC., portas .XXXVI., posterulas .V., in circuitu miliaria .XLII.[Page 14]

14. Principales portae sunt istae: porta Capena, quae appellatur Sancti Pauli, iuxta sepulchrum Remi; porta Appia extra quam, ut dicitur, Ihesus apparuit beato Petro; porta Latina, iuxta quam sanctus Iohannes apostolus in ferventis olei dolium missus est; porta Metronii; porta Asinaria Lateranensis; porta Lavicana, quae Maior dicitur; porta Taurina vel Tiburtina, quae dicitur Sancti Laurentii; porta Montana; porta Salaria; porta Pinciana; porta Flaminea; porta Collina, ad templum [H]adriani. Transtiberinae portae sunt tres: porta Septimiana, septem Naydes iunctae Iano; porta Aurelia vel Aurea; porta Portuensis.[Page 15]

15. Isti sunt arcus triumphales: arcus Aureus Alexandri ad Sanctum Celsum; arcus T[h]eodosii, Valentiniani et Graciani imperatorum ad Sanctum Ursu[m]; arcus triumphalis foris porta Appia et ad templum Martis; arcus Vespasiani et Titi in Circo; arcus Constantini iuxta Amphitheatro; arcus VII Lucernarum Vespasiani et Titi ad Sanctam Mariam Novam inter Pallanteum et templum Romuli; arcus Iulii Caesaris et senatorum inter aedem Concordiae et templum Fatale; arcus triumphalis Octaviani iuxta Sanctum Laurentium in Lucina.  
Deinde prope est arcus qui nunc vocatur Antoninus; arcus qui vocatur Manus Carnea ad Sanctum Marcum. Tempore quo Diocletianus imperator sanctam Luciam matronam pro fide Christi in urbe Roma cruciabat, iussit eam extendi ad verbera, ut fustibus mactaretur. Et ecce, qui eam caedebat, factus lapideus; manus autem eius carnea remansit usque nunc. Propter hoc vocatur nomen loci illius ad Manum Carneam usque in praesentem diem.  
Arcus Aureus in Capitello.[Page 16]

16. Thermae: Antoniane, Tyberiane, Nepotiane, Domitiane, Maximiane, Liciniane, Dioclitiane, Oli[m]piadi, Agrippiane, Alexandrine.[Page 17]

17. De palatiis. Palatum magnum monarchiae orbis in quo sedes et caput totius mundi est, et palatum Caesarianum in Pallanteo. Palatum Romuli iuxta tugurium Faostuli. Palatum Lateranense fuit Neronis, dictum a latere septemtrionalis plagae in quo situm est, vel a laterrana, quam Nero peperit: in quo palatio nunc est magna ecclesia sita. Palatum Susurrianum est modo ecclesia Sanctae Crucis. In palatio Romuli sunt duae [h]aedes Pietatis et Concordiae, ubi Romulus posuit statuam suam auream, dicens: «Non cadet, donec virgo pariat ». Statim ut virgo Maria peperit, illa corruit. Palatum Traiani et [H]adriani, ubi est columpna. Palatum Antonini, ubi est alia columpna. Palatum Neronis, in quo requiescunt corpora apostolorum Petri et Pauli, Simonis et Iudei. Palatum Camilli. Palatum Iuli Caesaris, ubi ipse requiescit. Palatum Crotatii. Palatum Eufimiani. Palatum Titi et Vespasiani foris Romam ad Catacumbas. Palatum Domitiani in Transtiberim ad Micam Auream.[Page 18]

18. Item de theatris. Theatrum Pompeii ad Sanctum Laurentium. Theatrum Antonini iuxta pontem Iudeorum. Theatrum Alexandri iuxta Sanctam Mariam Rotundam. Theatrum Neronis iuxta monumentum [H]adriani imperatoris.[Page 19]

19. [De locis quae inveniuntur in passionibus sanctorum].  
Foris portam Appiam, ad templum Martis, decollatus est sanctus Systus. Intus portam arcus Stellae. Regio Fasciolae ad Sanctum Neronum. Vicus Carnarius ad Sanctum Georgium, ubi est domus Lucilli, et est ibi Velum Aureum. Aqua Salvia ad Sanctum Anastasium, ubi decollatus est sanctus Paulus. Hortus Lucinae, ubi est ecclesia Sancti Pauli, in qua ipse requiescit. Inter Iudem, id est inter duos ludos, <id est> clivus Scauri, qui est inter Amp[h]iteatrum et Stadium. Ante Septasolis est cloaca ubi iactatus fuit sanctus Sebastianus, in qua inventum est corpus eius pendens in gaipho, id est in uncino. Gradus [H]eliogabali in introitu Palatii, in insula Catenata, post Sanctam Trinitatem. Arcus Stillans post Septasolis. Arcus Aventinus inter Aventinum et Albiston, qui locus ideo nominatur Albisto, quia albae stolae ibi fiebant pro imperatore. In Tellure, id est in Cannapara, fuit domus Telluris. Privata Mamertini est ante simulacrum Martis. Via Cornelia per pontem Milvium ? et exit in strata. Via Aurelia iuxta Girolum. Vicus Latericii ad Sanctam Praxidem. Vicus Patritii ad Sactam Pudentianam. Basilica Iovis ad Sanctum Quiricum. Thermae Olimpiadi, ubi assatus est sanctus Laurentius, in Panisperna. Circus Flammineus ad pontem Iudeorum. In Transtiberim templum Ravinniatum, ubi Sancta Maria, effundens oleum.[Page 20]

20. In templo Pacis iuxta Lateranum a Vespasiano imperatore et Tito filio eius recondita est archa Testamenti. In qua sunt haec: ani aurei, mures aurei, tabulae Testamenti, virga Aaron, urna aurea habens manna, vestes et ornamenta Aaron, candelabrum aureum cum .VII. lucernis, tabernaculum, septem candelabra, septem cathedrae argenteae, mensa, propositio sancta, turibulum aureum, virga Moysi cum qua percussit mare, mensa aurea, panes ordeacei, vestis inconsutilis, circumcisio, sandalia, vestimentum sancti Iohannis Baptistae, forcipes unde fuit tonsus sanctus Iohannes Evangelista.

21. De pontibus. Pons Milvius, [H]adrianus, Neronianus ad Sassiām,  
Antonini in Arenula, Fabricii in ponte Iudeorum; Felicis  
Graciani, pons inter Insulam et Transtiberim; pons Senatorum  
Sanctae Mariae; pons Theodosii in Riparnea; pons Valentiniāni.[Page 22]

22. Tria sunt privata publica: unum sub Capitolio, alterum  
privata Mamerclini, tertium foris portam Appiam, iuxta templum  
Martis.[Page 23]

23. De cimiteriis. Cymiterium Calepodii ad Sanctum Pancratium.  
Cimiterium Sanctae Agathae ad Giolum. Cimiterium Ursi  
ad Portesam. Cimiterium Sancti Felicis; Calisti iuxta Catacumbas.  
Cimiterium Praetextati intus portam Appiam ad Sanctum Appollinarem.  
Cimiterium inter Duas Lauros ad Sanctam Helenam; ad  
Ursūm Pileatum ad Sanctam Bibianam; in agrum [Veranum] ad  
Sanctum Laurentium. Cimiterium Sanctae Agnetis; fontis sancti  
Petri. Cimiterium Priscillae ad pontem Sallarium.[Page 24]

24. Columpna Antonini coclidis habet in altum pedes .CLXXV.,  
gradus .CCIII., fenestras .XLV., Columpna Traiani coclidis habet  
in altum pedes .CXXX., gradus .CLXX., fenestras .XLV. Colossus  
amp[h]itheatri habet in altum pedes sumissales .CVIII.[Page 25]

25. Infra palatium Neronianum est templum Apollinis, quod dicitur  
Sancta Petronilla. Ante quod est basilica quae Vaticanum vocatur,  
mirifico musivo laqueata, auro et vitro. Ideo dicitur Vaticanum,  
quia vates, id est sacerdotes, canebant ibi sua officia ante templum  
Apollinis. Idcirco tota illa pars dicitur Vaticanum. Est ibi aliud  
templum, quod fuit vestiarium Neronis, quod nunc vocatur Sanctus  
Andreas. Iuxta quod est memoria Iulii Caesaris, id est agulia, ubi  
splendide cinis eius in suo sarcofago requiescit, ut sicut eo vivente  
totus mundus ei subiectus fuit, ita eo mortuo usque in finem  
saeculi subicietur. Cuius memoria inferius ornata fuit tabulis aereis  
et deauratis, litteris decenter depicta. Superius vero ad malum,  
ubi requiescit, auro et pretiosis lapidibus decoratur, ubi scriptum  
est:  
Caesar, tantus eras quantus et orbis,  
Sed nunc in modico clauderis antro.  
In paradiſo Sancti Petri est cant[h]arum, quod fecit Simachus  
columpnis porphireticis ornatumque tabulis marmoreis cum grifonibus  
aereis connexae, precioso caelo coopertae, cum floribus et  
delfinis aereis et deauratis aquas fundentibus. In medio cant[h]ari  
est pinea aerea, quae fuit coopertorium cum sinnio aereo et deaurato  
super statuam Cybeles, matris deorum, in foramine Pantheon. In  
qua pinea subterranea fistula plumbea subministrabat aquam ex  
forma Sabbatina, quae toto tempore plena praebebat aquas per foramina  
nucum omnibus indigentibus ea, et per subterraneam fistulam  
quaedam pars fluebat ad balneum imperatoris, iuxta mausoleum  
Caesaris.[Page 26]

26. In Naumachia est sepulcrum Romuli, quod vocatur Meta, quae  
fuit miro lapide tabulata, ex quibus factum est pavimentum paradisi  
et graduum Sancti Petri. Habuit circa se plateam tiburtinam .XX.  
pedum cum cloaca et florali suo. Circa se habuit terebinta Neronis,  
tantae altitudinis, quantum monumentum [H]adriani, miro lapide  
tabulata, ex quibus opus graduum et paradisi peractum fuit.  
Quod aedificium rotundum fuit duobus gironibus sicut et monumentum,  
quorum labia erant cooperta tabulis lapideis pro stillicidiis,  
iuxta quod fuit crucifixus beatus Petrus apostolus.[Page 27]

27. Est ibi et memoria [H]adriani imperatoris, mirae magnitudinis  
et pulcritudinis templum constructum, quod totum lapidibus  
coopertum et diversis historiis perornatum est. In circuitu vero  
cancellis aereis est circumsaeptum cum pavonibus aureis et tauro;  
ex quibus fuere duo, qui sunt in cant[h]aro paradisi. In .III.or partes  
templi fuere .III.or equi aerei deaurati. In unaquaque fronte portae  
aereae. In medio giro sepulcrum [H]adriani porphireticum, quod  
nunc est Lateranis, in quo sepultus est Innocentius papa II; cuius  
coopertorium [est] in paradiſo beati Petri super sepulcrum Praefecti.  
Inferius autem portae aereae, sicut nunc apparent. In monumento  
vero porfiretico beatae Helenae sepultus est Anastasius III papa.  
Haec monumenta, quae diximus, omnia pro templis dedicata  
erant; ad quae confluabant Romanae virgines cum votis, sicut

28. Ad portam Flamineam fecit Octavianus imperator quoddam templum, quod vocavit Augustorum, ubi sepelirentur Romani imperatores, quod tabulatum fuit diversis lapidibus. Intus in girum est concavum per occultas vias. In inferiori giro sunt sepulturae imperatorum. In unaquaque sepultura sunt litterae ita dicentes: HAEC SUNT [OSSA] ET CINIS NERVAE IMPERATORIS, et victoria quam fecit. Ante quos stabat statua dei sui, sicut in aliis sepulcris. In medio sepulchorum est absida, ubi sedebat Octavianus. Ibi erant sacerdotes, suas caeremonias facientes. De omnibus namque provinciis orbis terrarum iussit venire unam cyrothecam plenam de terra, quam posuit super templum, ut esset in memoriam omnibus gentibus Romam venturis.[Page 29]

29. De templo Pantheon. Tempore quo Marcus Agrippa praefectus Romano imperio Suevios, Sassones et alios occidentales populos subiugavit cum .III.or legionibus, in reversione eius tintin[n]abulum statuae regni Persarum, quae erat in Capitolio, sonuit in templo Iovis et Monetae. Nam uniuscuiusque gentis statua erat in Capitolio cum tintinnabulo ad collum. Et si forte aliqua gens rebellionem meditasset, confestim tintinnabulum statuae gentis illius commovebatur et sonabat, cognoscabantque illam gentem esse rebellem. Cuius tintin[n]abulum audiens sacerdos, qui erat in speculo in [h]ebedomada vicis suae, nuntiavit senatoribus. Senatores autem hanc legationem Marco Agrippae praefecto imposuerunt. Qui renuens non se posse pati tantum negotium, tandem convictus, petit consilium trium dierum. In quorum termino quadam nocte ex nimio cogitatu obdormivit, et apparuit ei quaedam femina, quae ait ei: « Agrippa, quid agis? In magno cogitatu es ». Respondit: « Sum, domina ». Et illa respondit: « Confortare et promitte mihi templum te esse facturum, quale tibi ostendo, et dico tibi si eris victurus ». Qui ait: « Faciam, domina ». Quae in illa visione ostendit ei templum in hunc modum. Et dixit ei: « Domina, quae es tu ? » Quae ait: « Ego sum Cybeles, mater deorum; « fer libamina Neptuno, qui est deus marinus, ut te adiuvet. Hoc templum fac dedicari ad honorem Neptuni et meum, quia tecum erimus, et vinces ». Agrippa laetus exsurgens recitavit hoc in senatu, et cum magno apparatu navium et .V. legionibus ivit, et vicit omnes Persas et sub tributo Romani [senatus] redigit. Regrediensque Romam fecit hoc templum, et dedicari eum fecit ad honorem Cibeles, matris deorum, et Neptuni et omnium daemoniorum, et inposuit templo nomen Pantheon. Ad honorem cuius Cibeles fecit statuam deauratam, quam posuit in fastigio templi super foramen et cooperuit eam mirifico tegumento aereo deaurato. In huius autem templi fastigio stabant duo tauri aerei deaurati.[Page 30]

30. Ante palatium Alexandri, ubi nunc est conc[h]a, fuit templum Bellonae, ubi fuit scriptum:  
Roma vetusta fui, sed nunc nova Roma vocabor;  
Eruta ruderibus, culmen ad astra fero.  
Ad conc[h]am Parrionis fuit templum Gnei Pompei, mirae magnitudinis et pulcritudinis. Monumentum quoque illius, quod dicitur Maurentum, decenter ornatum, fuit oraculum Apollinis. Ecclesia Sancti Ursi fuit secretarium Neronis. Ante Sanctam Mariam in Aquire fuit templum Aelii [H]adriani. In campo Martio templum Martis, ubi eligebantur consules, die kal. iulii, et morabantur usque in kal. ianuarii. Si purus erat a crimine ille qui electus erat consul, firmabatur in consulatu. In hoc templo Romani victores ponebant rostra navium, ex quibus efficiebantur opera ad spectaculum omnium gentium. Luxta Pantheon est templum Minervae Calcidiae. In Camiliano, ubi nunc est Sanctus Cyriacus, fuit templum Vestae. Post Sanctum Marcum templum Apollinis; in Calcerari templum Veneris; in monasterio dominae Rosae castellum Aureum, quod fuit oraculum lunonis.[Page 31]

31. In Capitolio fuerunt imagines fusiles omnium regum Troianorum et imperatorum. Capitolium erat caput mundi, ubi consules et senatores morabantur ad gubernandum orbem. Cuius facies cooperta erat muris altis et firmis, super fastigium montis, vitro et auro undique coopertis et miris operibus laqueatis, ut esset speculum omnibus gentibus. In summitate arcis, super porticum Crinorum, fuit templum Iovis et Monetae, in quo erat aurea statua Iovis, sedens in aureo trono. In Tarpeio templum Asilum, ubi interfectus est Iulius Caesar a senatu.

32. Senatores videntes Octavianum tantae pulcritudinis, quod nemo in oculos eius intueri poterat, et tantae prosperitatis et pacis, quod totum mundum sibi tributarium fecerat, dicunt ei: « Te adorare volumus, quia deitas est in te ». Qui renuens, inducias postulavit. Et ad se Sibillam Tiburtinam evocans, ea quae senatores dixerant, recitavit. Quae spatium trium dierum petuit. In quibus ieiuniis et vigilis vacans, tertio die dixit imperatori: « Hoc pro certo erit, domine imperator, quod tibi vaticinor: Iuditii signum, tellus sudore madescet; E caelo rex adveniet per saecula futurus », et cetera quae secuntur. Itaque, dum Octavianus Sibillam attentius audiret, illico apertum est caelum, et splendor intolerabilis corruit super eum. Et vidit in caelo virginem inestimabilis pulcritudinis, stantem super altare, tenentem puerum in brachiis, et miratus est nimis, vocemque de caelo audivit dicentem: « Haec virgo conceptura est salvatorem mundi ». Rursumque aliam vocem de caelo audivit: « Haec ara filii Dei est ». Et statim procidens in terram adoravit. Quam visionem dum senatoribus retulisset, mirati sunt nimis. Alia vero die, dum populus dominum illum vocare decrevisset, statim manu et vultu repressit. Nec etiam a filiis suis dominum se appellari permisit, dicens:

Cum sim mortalis, dominum me dicere nolo.[Page 33]

33. Ante privatam Mamertini templum Martis, ubi nunc iacet simulacrum eius. Ubi est Sancta Martina templum Fatale. Ad Sanctum [H]adrianum templum Refugii. Ad Sanctum Sergium templum Concordiae. In Canapara templum Cereris et Telluris. Palatum Catilinae, ubi est ecclesia Sancti Antonini; iuxta quam est locus qui dicitur Infernus, eo quod antiquo tempore ibi eructabat et magnam pernitiem Romae inferebat; ubi Marcus Curcius, ut liberaretur civitas, responso suorum armatus proiecit se, et clausa est terra. Sic civitas liberata est. Ibi est templum Vestae, ubi dicitur inferius draco cubare. In ecclesia Sancti Cosmatis est templum Asilum. Retro fuit templum Pacis et Latonae. Superius templum Romuli. Post Sanctam Mariam Novam templum Concordiae et Pietatis. Cartularium ideo dicitur, quia fuit bibliotheca publica, ex quibus .XXVIII. fuerunt in urbe. Ante Coloseum templum Solis, ubi fiebant caerimoniae simulacro, quod stabat in fastigio Colossei, habens in capite coronam auream gemmis ornatam, cuius caput et manus nunc sunt ante Lateranum. Septizonium fuit templum Solis et Lunae. Sancta Balbina in Albiston fuit Mutatorium Caesaris. Ibi fuit candelabrum factum de lapide albeston, qui semel accensus et sub divo positus, numquam aliqua ratione extinguebatur. Ibi etiam ymago Domini post altare divinitus depicta, iuxta eam figuram qua Dominus fuit in carne. Qui locus ideo dicitur Albesta, quia ibi fiebant albae stolae imperatorum.[Page 34]

34. Circus Prisci Tarquinii fuit mirae pulcritudinis, qui ita erat gradatus, quod nemo Romanorum offendebat alterum in visione ludi. In summitate erant [duo] arcus per circuitum vitro et fulvo auro laqueati. [Superius erant domus Palatii in circuitu, ubi sedebant feminae ad videndum ludum .XIIII. kal. madii], quando fiebat ludus. In medio erant duo aguliae: minor habebat pedes .LXXXVII., maior .CXXII. In summitate triumphalis arcus, qui est in capite, stabat eques aereus et deauratus, qui videbatur facere impetum, ac si miles vellet currere aequum. In alio arcu, qui est in fine, stabat aliis eques aereus et deauratus similiter. Hii portati sunt a Constantino imperatore cum omni ornato facto ex aere in Constantinopolim, Damasco et Alexandria.[Page 35]

35. In palatio Neronis, quod ex latere et rana dicitur Lateranum, sunt quaedam miranda sed non scribenda. In campo Lateranensi est quidam caballus aereus, qui dicitur Constantini, sed non est ita. Qui autem voluerit veritatem cognoscere, hoc relegat. Tempore quo consules et senatores rem publicam administrabant, quidam rex potentissimus contra auream urbem veniens, ex parte Lateranis illam obsedit, multa strage et bellis Romanos affligens. Tunc quidam armiger magnae formae et virtutis, audax et prudens, surrexit et dixit senatoribus et consulibus: « Si esset qui de hac tribulatione nos liberaret, quid a senatu promereretur? » Qui respondentes dixerunt ei: « Quicquid ipse poposcerit, mox obtinebit ». Qui ait: « Date mihi .XXX. sextertios et memoriam mei facitis post peractum bellum, equum aereum deauratum ». Qui promiserunt

se facturos, sicut ipse pecierat. Qui ait: « Media nocte  
surgite et armati super muros urbis state in specula, et quaecunque  
dixerim facietis ». Quod cum fecissent, equum sine  
sella descendens, tulit falcem. Nam per plurimas noctes viderat  
regem ad requisita naturae ad pedem cuiusdam arboris venientem,  
in cuius adventum cocobaia, quae erat in arbore, statim cantabat.  
Armiger autem urbem egressus fecit herbam, quam in fasce religatam,  
ritu scutiferi, ante se portabat; et statim, ut avem cantantem  
audivit, accessit propius: cognoverat enim regem ad secessum venisse.  
Ivit contra eum, qui iam peregerat necessarium. Hii autem  
qui cum rege erant, putantes illum esse de suis, coeperunt clamare, ut  
de via recederet. Armiger autem, illorum verba producens, irruit  
super regem, eumque apprehendens per capillos, portavit usque ad  
muros civitatis. Romani vero, fortunae eventum videntes, urbem  
egressi, alios occiderunt, alios in fugam miserunt et spolia eorum  
ceperunt. Sicque ad urbem regressi, quod armigero promiserant,  
persolverunt, scilicet .XXX. sextertios et equum aereum deauratum  
pro memoria, sine sella, ipso desuper residente, extenta manu  
destra, qua ceperat regem. Ipsum quoque regem, qui parvae personae  
fuerat, retro ligatis manibus, sicuti eum ceperat, sub ungula  
equi memorialiter destinaverunt, et in capite equi memoria cocobaiae,  
ad cuius cantum ceperat regem.[Page 36]

36. In Exquino monte fuit templum [Marii], quod nunc  
vocatur Cimbrum, eo quod Cimbros deiecit. Ubi nunc est Sancta  
Maria ad Praesepem, fuit templum Cybeles. Templum Veneris ad  
Sanctum Petrum ad Vincula. Ad Sanctam Mariam in Fontana  
templum Fauni, quod simulacrum locutum est Iuliano et decepit  
eum. In cilio montis templum Iovis et Diana, quod nunc vocatur  
Mensa imperatoris, super palatii Constantii. Ibi in palatio fuit  
templum Saturni et Bachi, ubi nunc iacent simulacra eorum.[Page 37]

37. Ibi iuxta sunt caballi marmorei. Ad quid autem homines et  
caballi facti sunt nudi, audi; et quid sit, audi, quod ante caballos  
quaedam femina serpentibus circundata sedet, habens conc[h]am ante  
se. Temporibus Tyberii imperatoris venerunt Romanum duo philosophi  
iuentes, Praxitelus et Fidia. Quos imperavit ad se, evocans  
de eis: «Cur nudi inceditis ? » Qui respondentes dixerunt: « Quia  
omnia nobis nuda et aperta sunt, et pro nichilo mundum tenemus.  
Idcirco nudi incedimus, et nichil possidemus. Quia quicquid  
tu in secreto dixeris, nobis apertum est, usque ad unum  
verbum ». Quibus imperator ait: « Si quod dixistis impleveritis,  
quodcumque pecieritis, tribuam ». Tum illi: « Nullam pecuniam,  
sed nostram memoriam postulamus ». Altera autem die  
adveniente, per ordinem retulerunt imperatori quicquid in illa praeterita  
nocte consiliatus est. Ob quam rem fecit eis promissam  
praelibatam memoriam eorum, sicut postulaverant; equos videlicet  
nudos qui calcant terram, id est potentes huius saeculi, principes  
qui dominantur in hominibus huius mundi. Veniet rex potentissimus,  
qui ascendet super equos, id est super potentiam principum  
huius saeculi. In hoc seminudi, quod stant iuxta equos et altis  
brachis et replicatis digitis numerant ea quae futura sunt; et sicut  
ipsi nudi sunt, ita omnis mundialis scientia nuda et aperta sit mentibus  
eorum. Femina circumdata serpentibus sedens habens, conc[h]am  
ante se, significat ? praedicatores qui praedicabunt eam, ut quicumque  
ad eam ire voluerit, nequaquam possit, nisi prius lavetur  
in conc[h]a illa.[Page 38]

38. Iuxta Scolam Graecam palatium Lentuli. Ad Gradellas  
templum Solis. Ubi est Sanctus Stephanus rotundus, fuit templum  
Fauni. In Elephanto templum Sibillae, et templum Ciceronis ubi  
nunc est domus filiorum Petri Leonis. Ibi est carcer Tullianus,  
ubi est ecclesia Sancti Nicholai. Ibi iuxta templum Iovis, ubi fuit  
pergula aurea. Ad Sanctum Angelum templum Severianum. Ad  
Velum Aureum templum Minervae. In ponte Iudeorum templum  
Fauni. Ad Sanctum Stephanum in Piscina palatium Cromatii praefecti,  
et templum quod dicebatur Olovitreum, totum factum de  
cristallo et auro per artem mechanicam, ubi erat astronomia cum  
omnibus signis caeli, quod destruxit sanctus Sebastianus cum Tiburtio,  
filio Cromatii.[Page 39]

39. Trans Tiberim [ubi] nunc est sancta Maria, fuit templum  
Ravennatum, ubi terra manavit oleum tempore Octaviani imperatoris,  
quod fuit domus Meritoria, ubi merebantur milites qui gratis  
serviebant in senatu. Sub Ianiculo templum Gorgonis. In Insula

40. Haec et alia multa tempula et palatia imperatorum, consulum, senatorum praefectorumque tempore paganorum in hac aurea urbe fuerunt, sicut in priscis annalibus legimus et oculis nostris vidimus et ab antiquis audivimus. Quantae essent pulcritudinis, auri, argenti, aeris, eboris ac preciosorum lapidum, scriptis ad posterorum memoriam, [quanto] melius [potuimus], reducere curavimus.[Page 41]

41. His itaque praelibatis, nomina et dignitates illorum, qui in excubii imperialibus perseverant, describamus.  
Comes caesariani palatii, qui est supra comites, qui sunt in mundo, et cui palatii cura commissa est, habet sub se duos comites, comitem primae et comitem secundae cohortis. Prima cohors habet milites .DLV., qui debent vigilare et custodire imperatorem usque ad medium noctem. Secunda cohors similiter habet milites .DLV., qui similiter vigilant et custodiunt imperatorem usque ad diem.  
Comes autem caesariani palatii dictator Tusculanensis est.  
Primicerius palatii habet curam de clavibus totius palatii et [debet] esse honorabilis apud imperatorem, et die noctuque debet existere in palatio. Primicerius, id est prima, *chera* enim graece, latine prima manus dicitur, qui apud Graecos *papia* vocatur.  
Secundicerius, id est secunda manus, apud Graecos vocatur *depteros*. In palatio honorabilis est, et ibi debet esse die nocteque. Coronae et omnium vestimentorum, quae per festivitatem induuntur, debet habere curam.  
Numenclator, id est quaestor, debet curam de viduis et orphanis et omnibus xenodochiis, et apud eum debet disputari de testamentis.  
Primus defensor debet habere homines sub se, qui defendant sedem imperii.  
Archarius, qui ab archano dicitur, debet scire secreta consilia imperatoris et colligere censum de provintiis.  
Sacellarius debet habere curam monasteriorum et ancillarum Dei, et in festivitatibus introducit honores apud imperatorem.  
Protoscrinarius, id est primus scrinariorum.  
Bibliothecarius apud Graecos dicitur *logotheta*.  
Referendarius debet renuntiare, [quod] inscriptum est, ad imperatorem.  
Kymiliarchus dicitur custos et conservator omnium vasorum imperialium.  
Consules in unaquaque provincia ab imperatoribus constituti sunt, ut subditos suos consilio regant et non amplius nisi per annum consulatum teneant.  
Proconsul vicem consulis agat et procurator vicem curatoris exequatur.  
Dictator per .V. annos imperium tenet, maior quam consul, et secundus post imperatorem. Dicti autem dictatores, quasi principes et praeceptratores et magistri populi.  
Patricii ita provideant rei publicae, sicut patres filii. Pater autem et custos imperii patricius et dictator est.[Page 42]

42. De scaena et orcistra. In scaena, quae fit infra theatrum in modum domus cum pulpito, quod orcistra vocatur, cantant [comici, tragici atque saltant] histriones et mimi. In orcistra vero saltator saltat et duo inter se disputant. In ea poetae, comoedi et tragoedi ad certamen concendent, hisque canentibus alii gestus edunt virorum et feminarum.  
De officiis scaenae. Offitia scaenica: tragoedi, comoedi, themelici, histriones et saltatores. Tragoedi antiqua [gesta] et facinora sclerorum regum populo expectanti luctuoso carmine cantant. Comoedi vanorum acta dictis aut gestu cantant, et virginum [a]mores et meretricum in suis fabulis exprimunt. Themelici in organis et liris exprimunt ad cytharas. Themelici vero in orcistra stantes cantant super pulpitum quod *temela* vocatur. Histriones muliebri indumento amicti gestus in pudicarum et pudicarum feminarum exprimebant et saltando res gestas et historias demonstrabant.  
Mimi res humanas imitantur, et habent suum auctorem.  
Saltatores in scaena ludunt et gestu et corporis fluxu dissoluti, vocibus, modis, organis et liris transigunt. In amp[hi]theatrum pugnant gladiatores: ibi armorum usum diverso motu condiscunt.  
Ibi vero intra se aut gladiis aut pugnis certantes, nunc contra bestias incedentes, ubi non odio, sed praemio illecti, subeunt ferale certamen.[Page 43]

43. De coronis imperatorum. Sicut caesar a caesarie dicitur

et augustus ab augendo, et consules a consulendo, et dictatores a dictando, sic et imperator dicitur ab imperando, et ycumenicos ab universalitate, et monocrator appellatur a singularitate. Monos namque graece, latine dicitur unus et singularis; crator graece, latine princeps.

De coronis autem imperatorum, quae et quales quantaeque antiquitus fuerint vel a quibus inventae, et quid significant, videamus.

Prima corona est de herba appii, de qua Hercules coronatus est. Sicut enim appium resistit venenis, ita imperator de orbe venena maliciae et nequitiae debet expellere et eradicare.

Secunda de oleastro. *Oleon* graece, latine misericordia interpretatur.

Ostendit quia semper imperator debet superexaltare misericordiam iuditio. Et si quando in aliquem mortis sententiam intorserit, sicut Theodosius imperator constituit, usque ad quinquagesimum debet differri sententia et praestolari eius clementia. Quod si in aliquem dampnatum imperator aciem oculorum suorum verterit, ab imminenti statim periculo liberabitur.

Tertia populea, quia sicut folia eius ab una parte sunt alba, ab altera viridia, ita imperator nocte dieque pro Romani orbis statu invigilare debet; hanc similiter Hercules adinvenit.

Quarta est quercea, de qua Romulus coronabatur; quia sicut quercus glandes gignit, unde homines primum vixerunt, ita imperator omnium hominum curam ac si filiorum suorum agere debet, et ob id pater patriae appellatur.

Quinta corona est laurea, de qua senatores cum laudibus victorum imperatorum capita coronant; quae numquam deponit viriditatem; de qua semper imperatores coronabantur.

Sexta est mitra, qua lanus et reges Troianorum usi sunt, per quam innuitur, quod monocrator, quae ante et quae retro sunt, sollicita mente advertere debet.

Septima est frigium ad imitationem regni Troiani, de quo Romanum imperium processit; nam frigium reges Troiani ferre soliti erant.

Octava ferrea, quia . . . Pompeius, Iulius, Octavianus atque Traianus cum Romanis per ferrum subiugaverant totum orbem terrarum.

Nona de pennis pavonum, quam qui fert primus omnium est.

Sicut enim avis ad alta substolitur, ita Romanus imperator superiorem, qui sub caelo est, obtinet principatum. Hanc pontifex ycumenicos ferre solitus est auctoritate imperiali.

Decima corona est aurea, gemmis et margaritis ornata; quia sicut aurum reliquis metallis splendidius est, et quo plus aere repercutitur, plus fulget, ita imperator omnibus hominibus, qui sub caelo sunt, clarissimus, illustrissimus et splendidissimus. Hanc Diocletianus imperator, visa aurea corona regis Persarum, primus Romanis imperatoribus tradidit; et primus aurum et gemmas in vestimentis et calciamentis inseruit. Habet autem corona in circuitu suo scriptum:

Roma caput mundi regit orbis frena rotundi. [Page 44]

44. De vestibus imperatorum. Ad indumenta imperialia veniamus, et primo de clamide. Clamis est vestis, quae ex una parte induitur neque consuitur, sed aureis fibulis infrenatur. Toga forma est rotunda et effusiore et quasi inundante sinu et sub dextro veniens super humerum sinistrum ponitur, cuius similitudinem in operimentis simulacrorum vel picturarum aspicimus; easque statuas togatas vocamus. Toga autem imperator et Romani in pace utuntur, belli autem tempore paludamentis. Mensura autem togae iustae sex [ulnas] habet. Trabea imperatoris est togae species ex purpura et coco, qua operti imperatores procedere debent. Hanc primum Romulus adinvenit ad discretionem regum habitus. Trabea autem dicta, quod in maiorem gloriam imperatorem transferat et ex tunc et in posterum amplioris honoris dignitate beatum faciat, et monocratorem omnium designat. Paludamentum imperatoris est insigne pallium, coco, purpura et auro distinctum.

Est autem pallium bellicum, quod eo indutus imperator manifestat bellum futurum; paludamentum vero cyclas, circumtextum est et rotundum.

Imperator ferat camisum, ex subtilissimo et candidissimo bisso contextum, cum aurea bulla, ornatum a pedibus ad mensuram bracchii in circuitu de auro frigio.

Habeat et tunicam coccineam auro, gemmis et margaritis pretiosis ornatam, a scapulis, collo, pedibus et manibus habens ad pedes .LXXII. tinti[n] nabula, totidemque mala punica aurea.

Balteum, id est strophium imperatoris, sit factum ex auro  
et lapidibus preciosis, habens .LXXII. tintinnabula, ad similitudinem  
floris mali punicif acta et semicinthia aurea, eodem modo facta,  
et in utroque capite baltei rotam auream, lapidibus preciosis et  
margaritis ornatam, habens in circuitu rotae scriptum:  
Roma caput mundi regit orbis frena rotundi.

In medio vero rotum sit sculptum tripharium thema orbis: Asia,  
Africa, Europa.

Dalmatica imperatoris est diarodina ex aurofrigio cum  
aquilis aureis et margaritis compactis ante et retro, habens in  
se .CCC. .LXV. tintinnabula aurea.

Hepyloricum imperatoris oxydeauxitum sit factum cum  
aquilis et margaritis fabrefactis ante et retro.

Mantum aureum imperatoris habeat zodiacum aureum, ex  
margaritis et lapidibus preciosis compactum; in cuius fimbria sint  
.CCCLXV. tinti[n] nabula aurea, ad similitudinem floris mali punci  
facta, totidemque mala punica.

Habeat et zansas aureas cum aquilis .III.or ex margaritis compactis,  
quarum cinctoria sint de auro et preciosis lapidibus et  
margaritis, habentes .XXIIIJ.or tinti[n] nabula aurea, ad similitudinem  
floris mali punci facta.

Calcei imperatoris sint de auro frigio et margaritis ac lapidibus  
preciosis, de quibus inibi sint factae aquilae et leones et  
dracones.

De loro et frigio imperatoris. Habeat autem imperator lorum  
in collo et frigium in capite, nec non torquem auream, armillas,  
brachialia et dextralia.

De anabulo imperatoris. Habeat autem supra omnia vestimenta  
sub mantu anabulum aureum, gemmis et margaritis pretiosis  
ornatum, quod sumnum est omnium indumentorum; sine quo  
numquam aliquando debet proferre sententiam, alioquin irrita erit.[Page 45]

45. De trophaeo et triumpho, et quid distat inter trophaeum et  
triumphum. Si hostem imperator fugaverit, habebit trophaeum;  
si occiderit, habebit triumphum. Plenae enim victoriae debetur  
triumphus; semiplenae trophaeum, quia nondum plenam victoriam  
est consecutus. Non enim optimuit, sed fugavit exercitum.

De tranquillo triumpho imperatoris. Tranquillum autem triumphum  
appellatur, quando imperator triumphans auream urbem ingreditur,  
[tripertito] iuditio honoratur.

De triumphali processione imperatoris. Triumphans imperator,  
coronatus lauro et amictus purpura, ante senatum populumque . . .  
ex eo quod soliti erant reges Troianorum, unde

Romani originem ducunt.

De aurea palma. Si autem imperator [in] conflictu vicerit, aurea  
palma coronari debet, quia palma stimulus habet. Ideo enim  
palmam portat in manibus ob insigne victoriae, et quia obpansis  
est ramis in modum palmae hominis, procero et decoro virgulto,  
diuturnisque vestita frondibus, et folia sua sine ulla successione  
conservans.

De purpura et palma et toga et scipione et aquila imperatoris.  
Si sine conflictu fugientem prostraverit, lauro coronatur, eo quod  
arbor sine spinis est. Nam et purpuream et palmatam togam  
triumphans Augustus utitur, ferens sceptrum in manu ad imitationem  
victoriae Scipionis. Super scipionem aquilam auream  
cum gemm[e]is oculis ferre debet ob inditum, quia sicut aquila  
omnibus avibus [prae]volat, ita imperator per victoriam omnium  
ore ad superna extollitur.

De diar[h]odino imperatoris et laberintho aureo facto in eo. Unde  
diar[h]odino utitur ad imitandum divini ignis effigiem, qui semper  
ad alta extollitur, et quia per sanguinem Romani subiugaverunt  
orbem terrarum. Habeat et in diar[h]odino laberinthum fabrefactum  
ex auro et margaritis, in quo sit Minotaurus digitum ad os tenens,  
ex smaragdo factus, quia, sicut non valet quis laberinthum scrutare,  
ita non debet consilium dominatoris propalare.

Habet autem imperator cum aquila et pallam auream in manibus  
suis, sicut constituit Octavianus imperator, propter nationes  
sibi in cuncto orbe subicetas, ut ma[j]us] figuram orbis designet.

De bucinis et diversis generibus musicorum imperatorem comitantium.  
Sint autem in expeditione eius bucinae, tubae, classica,  
cornua, timpana et omnia genera musicorum et omnia genera  
armorum.[Page 46]

46. De ordinatione militum. Milites calcaria accipiunt: a tribuno,  
loricam a dictatore, lanceam et scutum a campidoctore,

caligas ferreas a magistro militiae, galeam cristatam a caesare, cingulum militare cum signis, gladium, anulum, armillas, torques et dextralia ab imperatore.

Differentia [clipeorum]. Clipei sunt maiores scuti; scuta sunt quae in medio habent umbonem, id est umbilicum. Equites ferunt scuta, pedites autem clipeos. Ancilia sunt brevia et rotunda scuta. Pelta sunt brevia scuta, in modum lunae mediae facta.

De equis. Equorum tria sunt genera: unum generosum, praeliis et oneribus aptum; alterum gregarium, ad vehendum, non ad equitandum aptum; tertium ex permixtione diversi generis ortum, ut mulus, qui iugo pistorum subactus, molendo tardus dicit in giro molas.

Colores autem eorum diversi sunt: vadius, aureus, roseus, mirteus, caeruleus, gelbus, glaucus, scutulatus, canus, candidus, albus, guttatus, niger.[Page 47]

47. De eunuchis. Eunuchorum multa sunt genera. Alii dicuntur falcati, quibus falce aurea vel argentea virilia absci[n]duntur, alii inguinarii, alii spadones, alii thomii. Eunuchus dicitur cubicularius, latine camerarius: a graeco, quod est eune, et latine sonat lectus sive cubiculum, ab *eune* et *echo*, id est habeo: ut sit eunuchus, qui lectum habet vel cubile, id est praepositus lecti vel cubilis; sicut *cliducos*, qui claves habet. Cum itaque integri viri tale amministrarent officium, postmodum principes, metuentes uxorum corruptiones, excogitaverunt evirationis diversa genera, eunuchi nomine remanente. Et quidam dicuntur spadones, quibus testes abrupti sunt vel avulsi, a graeco verbo, quod est *span*, quod est abrumpere vel avellere. Alii dicuntur thomii, quibus testiculi cum cadurco abscisi sunt, a verbo *tempno*, quod est caedo, unde tomè, id est *themesis*, id est divisio. Heae vero omnes species caesisionis cirurgia dicuntur, quod est proprie manus operatio: *cheyr*, id est manus; *ergon* graece, latine opus. Thomii autem sunt principes eunuchorum. Si quis civem Romanum vel aliquem liberum eunuchizare praesumpserit, capite puniatur. Eunuchos licet facere de Senonibus Gallis, de servis, et de his qui mares sua libidini aptant. Super omnes vero eunuchos eunuchi falcati principatum tenent; ipsi enim filias monocratoris custodiunt, decori forma et sine ulla macula. Eos oportet esse eruditos omni scientia et doctrina. Isti praesunt omnibus eunuchis; vescantur ergo cibo imperiali, et de vino augustali potentur, et ad obsequium suum alias eunuchos, non tamen falcatos, habeant. Qui vero deliquerint, nudi verberentur. Nullam aliam curam eunuchi debent habere, nisi illarum [rerum] tantum, quae ad palatum monocratoris attinent, et ad obsequium basilissae et imperatricis et filiarum eius. Et hanc curam falcati tantum habere debent. Sunt enim eunuchi falcati, qui urices, id est testiculi, et colum praecisum habent. Sunt et eunuchi inguinarii, quibus urices ab inguine abscinduntur. Hii in obsequio et servicio matronarum sunt. Si quis autem aliquem ingenuum eunuchizare praesumpserit, iuxta divi Octaviani edictum capite puniatur. Hii autem, qui eunuchizandi sunt, extra urbem a ganeis, id est meretricibus, deponantur in balneum calidum, et duabus vel tribus ganeis cheon et cadurcum fomententur, usque quo nervi uricum bene extendantur, et sic, opato vino soporati, cum falce aurea vel argentea, ignita et acutissima . . . [devirentur]. Eunuchi a die devirationis sua, ita auro, monilibus, gemmis et indumentis ornentur sicut virgines, et semper locus abscisionis balsamo perungatur.[Page 48]

48. . . . . primus scrinarius, archarii, sacellarii, protoscrinarius, bibliothecarii, cymiliarchae, principes, comites templorum, et omnes maiores et minores . . . et liliis adornati ad caesarianum palatum monarchiae incedant; ibique fausta, id est laudem, omnium dominatori acclamantes, praestolentur monocratorem. Ad quos idem augustus, diversis musicorum generibus se comitantibus, egrediens, salutat omnes, et usque ad terram resalutatur ab eis. Sicque [Capitolium] aureum concordens, roseam coronam in capite accipiat, sicque per urbem trabeatus incedens, advesperascente ad caesarianum palatum redeat.

In kalendis autem iunii similiter faciant.

In militiam ascripti ad exercitum mittantur et monocrator praecelsus ex corona liliarum coronabatur; et pulvis mortuorum cum ossibus ante eum ponebatur; et stuppa ad figuram iuditii ante eum incendebatur.[Page 49]

49. Omnes munitiones, omnes arces, omnes portus aquarum,

pontes, fortitudines, luppenaria, burgi, clibana, aquae molendina,  
venae metallorum omnium sunt . . . . . monocratoris.  
Nulla dignitas, nulla potestas, nullus vivens in orbe Romano,  
nec ipse etiam praecelsus monocrator, Capitolium Saturni, qui caput  
urbis est, concendere valeat, nisi alba veste indutus. Quando  
autem omnium dominator Capitolium Saturni et lovis [templum]  
concordare voluerit, in mutatorio Iulii Caesaris purpuram albam  
accipiat, et omnibus generibus musicorum vallatus, hebraice, graece  
et latine fausta acclamantibus, Capitolium aureum concordant.  
Ibi ab omnibus usque ad terram tribus salutatus, pro  
salute monocratoris Deum . . . . . qui illum orbi Romano  
praefecit. Descendens vero de Capitolio . . . caesariano purpuram  
albam deponat, et prioribus vestimentis rursum amictus,  
ad caesarianum palatum redeat.

Nullus in aureo Capitolio absque ramo olivae concordare audeat,  
quod est pacis insigne, et semper intra urbem togis utantur.  
Cyrothecae monocratoris sint ex aurofrigio candidissimo factae,  
habentes ex auro et gemmis ac lapidibus preciosis in una cyrotheca  
Romulum cum Scipione, in alia Iulium cum Octaviano.  
Sonus imperator est qui post Deum omnium obtinet potestatem,  
et omnium iura legesque dispensat, et omnium moderatur  
habenas, et qui ab omnibus usque ad terram est salutandus.[Page 50]

50. Qualiter patricius sit faciendus. Patricii ergo dignitas  
taliter disponenda est, quatinus illa dignitas non vili personae nec  
alicui concedatur ignoto. Sit enim valde notus imperatori, sit  
fidelis et prudens, non elatus. Protospatharius veniens ante imperatorem,  
osculetur suum humerum, et dicat: «Maxime imperatorum,  
adest quem vocasti ». Tunc stet ad sinistram imperatoris illius  
yparchus, quem nos dicimus praefectum, et dicat ei imperator:  
«Cum protospathario futurum patricium adducito ». Dum autem  
venerit patricius, in primis osculetur pedes imperatoris, deinde  
genu, ad extremum osculetur ipsum. Tunc osculetur omnes Romanos  
circumstantes, et dicant omnes: « Bene veniatis ». [Tunc  
dicat imperator] «Nobis nimis laboriosum esse videtur, concessum  
nobis a Deo ministerium me solum procurare. Quo circa te nobis  
adiutorem facimus, et hunc honorem concedimus, ut ecclesiis Dei  
et pauperibus legem facias, et ut inde apud altissimum iudicem  
rationem reddas ». Tunc induat ei mantum, et ponat ei in dextra  
indice anulum, et det ei bambacinum propria manu scriptum, ubi  
taliter contineatur inscriptum: « Esto patricius, misericors et iustus ».  
Tunc ponat ei in caput aureum circulum et dimittat eum.[Page 51]

51. Qualiter iudex constituendus sit. Quando iudex constitui  
debet, veniat autem ad imperatorem, et ducat eum primicerius.  
Tunc dicat imperator: « Primiceri, vide, ut non sit servus alicuius  
neque ita pauper, ut meam perdat animam in acquirendam sibi  
pecuniam ». Tunc dicat imperator iudici: « Cave, ne aliqua  
occasione Iustiniani, sanctissimi antecessoris nostri, legem subvertas ».  
Et ille e contra: « Perpetuis maledictionibus percuciar,  
si hoc faciam ». Tunc imperator faciat eum iurare, quod nulla  
occasione subvertat legem. Tunc induat eum imperator mantum  
et convertat fibulam ad dexteram partem et clausuram manti ad  
sinistram, significans quod lex ei debeat esse aperta et falsum testimonium  
clausum. Et det ei in manum librum codicum, et dicat:  
« Secundum hunc librum iudica Romanam et Leonianam orbemque  
universum », et det ei osculum et dimittat eum.[Page 52]

52. Qualiter Romanus fieri debeat. Si quis Romanus fieri desiderat,  
humiliter ad imperatorem fideles suos mittat, postulans ut  
liceat eum legi Romanae succedere Romanumque civem ascribi.  
Et si hoc libitum imperatori fuerit, taliter faciendum est. Sedeat  
cum optimatibus suis iudicibus atque magistris; et duo ex iudicibus  
eant inclinatis capitibus ante imperatorem dicentes: «Caesar noster,  
quid praeceperit summum imperium tuum? » Imperator e contra:  
« Ut amplificetur numerus Romanorum, illam, quem vos hodie  
michi denunciastis, Romanae legis iubemus . . . ». [Home](#)  
*Anonimo. Date: 2003-04-24*